Dominica II post Epiphaniam

tur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha: omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

Graduale Ibid., 6 et 1 Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. V. Surge, et illumináre Ierúsalem: quia glória Dómini super te orta est.

Allelúia, allelúia. V. Matth. 2, 2 Vídimus stellam eius in Oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Ioann. 1, 29-34

Tn illo témpore: Vidit Ioánnes Iesum veniéntem ad se. et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciébam eum, sed ut manifestétur in Israël, proptérea veni ego in aqua baptízans. Et testimónium perhíbuit Ioánnes, dicens: Quia vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cælo, et mansit super eum. Et ego nesciébam eum: sed qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis Spíritum descendéntem, et manéntem super eum, hic est, qui baptízat in

Spíritu Sancto. Et ego vidi: et testimónium perhíbui quia hic est Fílius Dei. Credo.

Antiphona ad Offertorium Ps. 71, 10-11

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent: et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei.

Secreta

H óstias tibi, Dómine, pro nati Fílii tui apparitióne deférimus, supplíciter exorántes: ut, sicut ipse nostrórum auctor est múnerum, ita sit ipse miséricors et suscéptor, Iesus Christus Dóminus noster: Qui tecum.

Antiphona ad Communionem Matth. 2, 2

Vídimus stellam eius in Oríente et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Postcommunio

Cælésti lúmine, quæsumus, Dómine, semper et ubíque nos præveni: ut mystérium, cuius nos partícipes esse voluísti, et puro cernámus intúitu, et digno percipiámus afféctu. Per Dóminum.

TEMPUS PER ANNUM ANTE SEPTUAGESIMAM DOMINICA SECUNDA

POST EPIPHANIAM

II classis

¶ Si hæc dominica II, vel alia post Epiphaniam, superveniente dominica in Septuagesima, impediatur, nec sit ei locus post Pentecosten, iuxta rubricas, omittitur.

TS EDITORS LEFT NO STONE unturned in their quest for the best versions of these ancient Catholic hymns, combing through centuries of English translations from the sixteenth century to the present day. In the process, they have revealed much little-known material, and some that is published in a hymnal for the first time. [They] navigate this difficult terrain with assurance; indeed, the editors' explanation of the Urbanite reform and its impact on English translators is a model of clarity, and contains information this reviewer has not encountered elsewhere.

-Dr. Aaron James: 2019 review of the Brébeuf Catholic Hymnal in the Journal of the Society for Catholic Liturgy • https://cewatershed.org/hymn/